



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

4. Bonæ vxores acquirendæ difficultas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

decipiaris. Antiqui Funoni γαμηλιῶν nuptiales victimas felle destitutas offerebant, ut uxorem, vel maritum acquirerent, felle & amaritudine carentem.

IV. 3. Sicut difficile est, è mari siccum extrahere lapidem, sic planè periculosa res plena est aleæ, è tanta frequentia malarum mulierum acquirere bonam.

Πολλῶν κατὰ γῆν, καὶ κατὰ θάλατταν θηρίων ὄντων, μέγιστόν ἐστι θηρίων γυνή.

Tot cùm mari terraq, sint passim fera,

Fera omnium ipsa maxima extat femina.

Ait Menander; qui & uxorem vocat: domus tempestatem (qualis fuit Xantippe, qualis vxor Iob) item aspidis venenum, malorum thesaurum. Quemadmodum & D. Chrysostomus omnino peius malum, malum nimirum intolerabile, viperam immedicabilem, venenum insanabile. Quippe quæ amicitia inimica, inuitabilis pœna, necessarium malum, naturalis tentatio, desiderabilis calamitas, domesticum periculum, delectabile detrimentum, mali denique natura, sed boni colore depicta est. Quid peius muliere atque audacius inquit Comicus. Et Euripides: γυνή τε πάντος ἀγριώτατον κακόν.

Plant. in Mil. glor.

Eurip. in Phœnissis.

Malum efferatum maximè una est femina.

Gen. 4. 6. & 7.

D. Ambrosius, mulierem ianuam diaboli, viam iniquitatis, scorpionum percussorem appellat. Quod vel in Eua verum fuit, aut in vxore Iobi, & Tobix; ne dum in Hecuba aliqua, quæ, ob iram atque maledicentiam, in canem versa dicitur. Certè filij Seth antè, quàm vxores ex filiabus hominum, hoc est, ex stirpe Cain, dixissent, boni erant, & filij DEI appellabantur. Post infelicia autem ista connubia, eò malitiæ delapsi sunt, ut essent communi

3. Reg. 11. 4.

totius Mundi eluione delendi. Ipsum Salomonè Ægyptiarum mulierum consuetudo in idololatriam præcipitavit. Nonne hinc mulieres ianua diaboli, & via iniquitatis extiterunt? Quàm facilè autem est, in tanta talium abundantia, talem potius, quàm bonam assumere? Denique Alphonsus Aragoniæ rex solebat dicere, Tum deniq, plerisque molestys liberum fore matrimonium, si maritus surdus, vxor cæca fiat.

Caspar. Enf. l. i. Epidorp.

V.

At, inquires, si quis incommodam atque importunam uxorem nactus est, potest eam commodam, opportunam, atq, ad suum